

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Michaelis Ritii Neapolitani De regibus Francor[um] lib. III

Riccio, Michele

Basiliae, 1517

Michaelis ritii neapolitani, de regibvs hispaniae, liber primvs

[urn:nbn:de:bsz:31-270905](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270905)

MICHAELIS RI-

TII NEAPOLITANI, DE REGI-

BVS HISPANIAE, LI-

BER PRIMVS,



HISPANIAE ueterem formam mutari saepe contigit. Initio Reges eam habuerunt ex gente Curetum, Gargoris eiusque nepos ex filia stupro conceptus Abbas. Nam Gerionem licet historia Diodori memoret, equidem fabulosum putarem, nisi grauis autor Trogus accederet.

Reges Hispani.

Gargoris.

Abbas.
Geriones

Hispalus

Hispania
rū diuisio

Hispalum uero de cuius appellatione suspicantur Hispaniae nomen inditum, longa aetas obruit. Post multa demum secula, Carthaginenses occupauerunt eius imperium, quibus bello Punico Secundo pulsis, Romani duas in provincias uniuersam diuiserunt, in Beticam & Taraconensem, Iuridicosque conuentus undecim, mansitque is rerum status ad Attilam usque, qui per legatos ulteriorem subegit Hispaniam. Quam falso quidam prodiderunt esse dictā ab Hunnorū Ducibus, quos illi sua lingua memorāt Hispanos, quom certa temporū ratio refragetur. Iterū deniq; sub Regib⁹ aliquādo in regna quinq; distributa est. Primū Legionis & Castellae, Secundū Aragonū, Tertiū Navarrae

f 7 Quartū

Legionis & Castellæ reges. Quartum Portugallia. Quintum Beticæ, quâ Granatam perhibent. Itaq; Mauris qui Beticam tenuerunt omiffis, Legionis & Castellæ Regū Stemma prosequemur, unde manasse Christianos Reges autumo. Quorum nostro proposito debita relatio est.

Vuādali. Sueui. Goti. Athanaricus. Beticæ rerum potiebantur Vuandali, Sueuique Lusitania, quas Romanis opibus attenuatis in potestatem redegerant, quom Goti sub auspicijs Athanarici, qui primus eius gentis Rex fuisse proditur, Hispaniæ fines ingressi, sedes posuerunt, anno dominicæ salutis trecentesimo quadragesimo tertio, quomque regnasset annis tresdecim, diē dāsit, Hispaniq; recepti sunt Theodosij Cæsaris uirtute. Qui Gotos annis duodeuiginti, imperata facere coegit, & in officio continuit. Exinde Goti quom descuiissent ab imperio,

Theodosius.

Alaricus. Balthi.

Regem sibi creant Alaricum Pannonem de gente Balthorum, qui præterq; quod Hispaniæ partem sibi uendicauit, & Thraces, & Germanos uarijs affecit cladibus, in Italiâ ductis copijs, Romam, Campaniamq; & Apuliam redegit in potestatem. Sed uigesimo tertio sui principatus anno, repente fato functus est in Brutijs, Deriuatoq; Captiuorum labore Basento Cosentia præterfluente in eius alueo cōditus est.

Athaulsus.

Athaulsus incertum nepos Alarici, an necessarius, in defuncti locum substitutus est, & apud Gotos regnauit, qui licet Hispanis, & alijs Europæ gentibus imperarēt, Gotorum tamen Reges aduſq; Pelagium, de quo post, omnes appellati sunt. Athaulsus itaq; Gallâ Placidiniam Honorij Romani principis sororem matrimonio sibi iunxit. Nec amplius annis quinq; rerum potitus, apud Barcinonam a militibus Sineric⁹ suis obtruncatur. Successit ei Sinericus a stirpe propior (ut aiunt)

aiunt) isque anno post obiit. Exinde gubernacula suscepit Vualia, cuius ad usque tempora Vuandali, quos ab initio, si-
 nes Hispaniæ tenebant, donec eorum Rex Gensericus in
 Aphricam traiecit, occasioneque nactus Vualia, pulsus ex Hi-
 spania, qui domi remanserant Vuandalis, quicquid in eorum
 iura cõcesserat, in suam ditionem redegit, subitaque uir mor-
 bi correptus, anno tertio regni sui fato functus est.

Itaque res ad Theodoricum defertur, is tertio post anno
 socijs Ethio patricio, & Meroueo Francorum rege, dum pro
 Romanis aduersus Artilam pugnaret Vnorum Regem,
 in campis Catalaunicis occubuit. Patris honori successit To-
 ristmundus, qui principatus sui anno decimo Germanorum
 fratrum (ut rumor est) insidijs de medio sublatus est.

Regnum; Theodoricus huius nominis secundus, Torismũ
 di frater occupauit; exactoque Rhethiario Sueuorum rege
 Lusitaniam regni sui finibus adiecit, aiunt huic eandem ne-
 cis sortem obrigisse, quam Torismundo Fratres intulerant,
 quo tempore Theodoricus alter Ostrogotorum rex in Ita-
 lia rerum potiebatur.

Elato Theodorico, principatum suscipit Henricus eius fra-
 ter, qui Gotis autor fuit, ut scriptis legibus uterentur. Anno
 septimo sui principatus excessit ab humanis. Alaricus al-
 ter a superiore post Henricum Gotis imperauit annis duo-
 decim. In acie cæsus a Fludigino comite apud Pictauium,
 superstite Almarico quem suscepit ex filia Theodorici Re-
 gis Italiae.

Gensalaricus Alarici frater ex pellice genitus excluso Alma-
 rico nepote regnum sibi uendicat, annisque quatuor tenuit,
 donec opibus Theodorici, quem maternum auũ Almarici

Vualia.
Genserico

Theodo-
ricus

Torismũ
dus.

Theodo-
ricus II.
Rethiari-
Sueuorum
Rex.

Henricus.

Alaricus.

Almarico.

Gensala-
ricus.

- demōstrauimus, in Aphricam compulsus est. Itaq; receptis
Almaric^o Gotis Theodericus Almarici Nepotis infirmam rexit ata-
 tem lustris duobus, & septē mensibus. Mox Almaricus ubi
 a pueris excessit annis quinq;, rem per se administravit. Do-
 nec commisso cum Gallis pralio obruncatus est.
- Amalasin-
tha.** Amisso filio successit Amalasintha Theoderici regis Italiae
 filia, mater Almarici, Tendiuq; sobrinū suū in spē successio-
 nis adoptauit, is nō expectata fatali die, Amalasinthā in Bal-
Tendius neo suffocandā curauit. Tēdius igit' Amalasintha sublata,
 septēdecim regnauit annis, is in cædē suā Gotos accēdit, ha-
 bitus Histrionici deformitate, quē palā, passimq; gestabat.
- Tēdesil^o** Goti nouum Regem sibi creant Tendesilium, qui forte per
 id tempus exercitui præerat, impositus a Tendio, huius affi-
 nis esse dicebatur, is apud Hispalim orta seditione obrun-
 catus est, ob illatam uim Matronis illustribus.
- Agila.** Agila subrogatur in eius locum, nec equidem scio superio-
 res ne Reges aliqua necessitudine contigerit. illud unum
 constat anno quinto, ex quo creatus est Rex, a suis esse in-
 teremptum.
- Atanagil-
dus.** Exinde Gotorum Dux Atanagildus occupat dominatum,
 quem postquam bis septenis tenuit annis, apud Toletum
 morbo consumptus est.
- Lymba.** Lymba, quē Luybam nōnulli uocant, ad rerum fastigiū suo
 rum studio suffragioq; euehitur, triēnioq; regnauit, uiuens
 q; Leonogildo fratri cessit Hispaniæ principatu.
- Leono-
gildus.** Leonogildus ex Hispania Sueuorū reliquias eiecit, Ande-
 ca Rege superato, ij regnū semel in Hispania constitutum,
 per annos centum septuaginta tenuerant in Hispania. Se-
 curi percussit Hermelgundum suorum liberum natu maxi-
 mum

mum in cōuentu Hispalis in acie captum, quod is Arriano/
rum sectam non probaret. Regno præterea Legionis adie/
cit urbem, Gotis imperauit annis duodeuiginti.

Leonogildo patri successit Rechared⁹ ab Hermelgondo p
ximus, is Arrianū Dogma in cōuentu Toletano dānatū ab
Hispaniæ finibus eijciendum curauit. Luyba alter a priore,
quē uocatū p̄terea Lymbā demōstrauimus, Recharedi fili⁹
excepit impiū, qd' ānis duob⁹ & mēsis quinq; tenuit, in si
dijs Victeric⁹ de medio sublatus, illustris inter Gotos uiri.

Luyba cæso, Regnū Victeric⁹ occupauit eius p̄cussor, ade
ptoq; p̄ fraudē dominatu septē potit⁹ ānis; eodē leti genere
periit q̄ Luyba. Res ad Gondamirim delata, quā quom Biē
nio administrasset ex aduersa ualitudine mature diē clausit.

Goti nouum regem sibi creant Sissebutam, qui uerum dei
cultum, nostramq; religionem mirifica pietate prosequutus
est, in Aphricam trans Herculeum fretū ductu exercitu plu
res in ea gentes in ditionem redegit annis nouem regnauit
& septem mensibus, morbo consumptus est.

Recharedus eius nominis secundus Sissebuti F. paternū de
cus accepit, idq; sesquianno tenuit. In eius locū subiit Suin
tilla Recharedi primi filius, isq; quom decē regnasset annis,
suū F. Rachimirū in regni consortiū accepit, eumq; uiuens
administrare regnū permisit. Quoniā uero Rachimir⁹ ma
ture patrē sequutus est, breuiq; post eum regnauit, nō uenit
in ordinem per se regum, sed cum patre confunditur.

Itaq; Sifecūdus & ipse Suintilla patre natus, in demortui lo
cū suffectus est, excluso qui præstabat ætate Germano, qui
paterno nomie Suintilla uocabat^r, is anno post septimo, de
fūcto apud Toletū Sifecūdo, debitū sibi regnū uindicauit.

Suintilla

Rechare/
dus.

Luyba.

Victeric⁹

Gonda/
miris.

Sissebuta

Rechare/
dus,
Suintilla,
Rachimi/
rus.

Sifecūd⁹.

Suintilla. Suintilla rex eo nomine secundus quadriennio rerum potitus ex ægritudine, in quam incidit, fato functus est. Tum
Tulga. Goti regem sibi creant regia stirpe genitum Tulgam, qui regnavit annis duobus.

PRIMI LIBRI FINIS.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS HISPANIAE, LIBER SECVNDVS.

Cindas.

ACVAM Gotorum regiam Cindas Vin-
 dus occupat, illustri inter eos loco, quam
 annis decem tenuit, moriensque filio per
 manus tradidit.

Recisuindus.

Recisuind⁹ is fuit, qui Gotis imperavit an-
 nis duodeuiginti, ac mensibus undecim,

Bamba.

quo mortuo, Bamba rex creatur, is qui Mauros Hispania
 littora cum classe ducentarum septuaginta nauium ingres-
 sos, ingenti prælio fudit, & classem igni succendit. ex haustu
 demum ueneni, quod ab Eringio Recisuindi datum rumor
 est, incidit in grauissimum morbum, ex quo quom ægre co-
 ualuisse, anno post initum regnum nono, menseq; uno, re-
 ligious habitum sumpsit, in eoque permāsit annis septenis
 ad ultimum uitæ diem. Sunt qui fabulentur hunc ex aratro
 ad principatū euectū Leonis Romani Pontificis beneficio.

Eringius.

Eringius, de quo supra diximus, ad religionem transgresso
 Bamba, Theofredum Recisuindi F. pellit, occupatoq; do-
 minatu